



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. XLIX. De Prussia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

## CAPUT XLIX.

## DE PRVSSIA.

**P**R V S S I A siue Borussia, vltima Germaniae regio, ad mare Balticum, anno 1215. à Crucigeris Equitibus Teutonicis est subacta. Anno 1419. cùm nonnullæ provinciæ & ciuitates Borussiæ ad Casimirum Poloniæ Regem defecissent, grauissima bella inter Crucigeros & Polonos sunt exorta. Demùn anno 1525. Albertus Brandenburgicus, Lutherana hæresi infectus, ex magistro Crucigerorum, Dux Prussiæ à Sigismundo Poloniæ Rege creatus est, & Prussia ipsa diuisa est in Regalem & Ducalem. In Prussia Regali duo sunt Episcopi, *Varmiensis*, qui Brunsbergæ domicilium habet, & *Culmensis*. In Prussia Ducali duo itidem solent esse Episcopatus, *Sambiensis*, cuius sedes erat Regius Mons & *Pomesaniensis*, cuius sedes erat Mariæ-Verda: sed utrumque dictus Albertus extinxit. Ducatum Prussiæ, Polonorum Regi beneficario iure obstrictum, hodie obtinet Marchio & Elector Brandenburgensis. Sunt in Prussia plerique incolæ Lutherani: habent tamen publicum ac liberum suæ Religionis exercitium Catholici, in Monte Re-

Regio: idque beneficio Sigismundi Poloniæ Regis moderni.

## C A P V T L.

## D E A N G L I A.

**B**RITANNIS Euangelium annuncias-  
se S. Petrum Apostolorum principem  
tradit Simon Metaphrastes. Sunt qui  
putant in illa, quam Claudius Cæsar con-  
tra istam gentem expeditionem habuit, co-  
mitem se Apostolum addidisse, cùm anni  
superioris initio ex Syria in Italiam appu-  
lisset, cathedræque culmen Roma fixisset.  
Ut vt sit, illud ex Beda & alijs constat, Lu-  
cium Britanniæ R̄ gem, tempore Eleu-  
therij Papæ, Antonino & Lucio Vero im-  
perantibus, Christo nomen dedisse.

Qua de causa Henricus VIII. Argliæ  
Rx à communione Ecclesiæ Romanæ de-  
fecerit, egregriè docet Nic. Sanderus lib. de  
Schismate Anglicano.

Ceterū in Anglia duæ sunt Metropo-  
les, Cantuariensis & Eboracensis, quibus quæ  
sint suffraganeæ Ecclesiæ, breuiter ape-  
riam.